Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dicam fugiunt, per castitatis culmen in voragine ruunt elationis. Quasi a parte feriens hasta est culpa de vitio, et quasi ex occulto vulnerans de pharetra sagitta est culpa de virtute. Sed equus Dei et ante faciem hastam superat, cum libidinem calcat, et a latere sagittam circumspicit, cum incastitatis munditiam se ab elatione custodit. Unde bene in utroque certamine per Salomonem dicitur: Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. Pes namque in anteriora tendit. Anteriora autem non videt qui ea quae sunt a latere conspicit, rursumque qui pedis custodiam providens anteriora cernit, circumspectionem lateris deserit. Dum vero ante faciem positae virtutis aliquid agimus, quasi quo pes debeat poni providemus. Sed dum ex virtute eadem furtive culpa suboritur, quasi dum in anteriora respicimus, ad sagittam latus nudamus. Saepe vero dum suboriente culpa metuimus, virtutem quae agenda est declinamus, et quasi dum latus circumspicimus, nequaquam cernimus pes in anteriora quomodo ponatur. Bene ergo dicitur: Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris. Quia miles Dei divinae gratiae clypeo protectus et quae ex latere possunt prodire circumspiciendo considerat, et gressum ante faciem ferre proficiendo non cessat. Cui fraudulentus hostis invidens, quia per pharetram et hastam nequaquam se praevalere conspicit, clypeum opponit, ut si resistentis pectus feriendo non perforat, saltem quibusdam obiectionibus proficientis iter includatur. Quasdam namque difficultates ipsis eius conatibus obicit, et cum superare non valet, vel resistit. Sed quid contra tot argumenta bellorum equus agat audiamus: Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubae sonare clangorem. Contra equum clangor tubae insonat, quando electi mentem in eo quod agit fortiter cuiuscumque posita culpa terribiliter temptat. Sed fervens et fremens sorbet terram, quia nimio ardore semetipsum discutit, et quicquid in se terrenum

Lx.vii. Sepe dum oriens culpa metuitur virtus que agenda est declinatur.